Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36449
Copyright: Melk, Benediktinerstift

cia lucidum episcopum qui tenet id mona-
sterium die septimo nichilominus moriturum.
His dictis monachum oscitare percipiens.
duos digitos in faciem eiecit. uulnusque di-
rumpens ut excrearet iniuriit. Ille tusci-
ensis partem coagulati sanguinis in more la-
pidis reuera proiecit. et ab ipsis pene mor-
tis ianuis liberatus. eadem nocte contra spem
omnium matutinalibus ymnis interfuit.
Mirantibus fratribus sanitatis sue modum
innotuit. Quos quoque et qualiter ex monaste-
rii familia morituros preuidit indicauit.
de sola episcopi interitum morte dubitando con-
ticuit. Et e uestigio in cunctorum morte de-
putatorum auribus uolans fama discurrit.
Et dum ex relacione monachi se moritu-
ros certo die cognoscerent. dispositis su-
is sedulis. ita se in morte secuti sunt. sic fuerant
Cumque presbiter ex [lxxv] in somnio nominati. [III]
monachus lucido episcopo tam durum nuncium
reuelare timeret. tacere autem penitus non
auderet. monasterio se tandem proripuit. et
ad domum episcopi non longe a flumine ti-
beris regione. uidelicet iuxta basilicam
sanctorum ciri et iohannis positam. somnium nuncia-
turus accessit. Quem scilicet ubi cum pon-
tifice in palacio prandere cognouit. ex-
pectans redeuntem. sacerdotalibus uestimentis
indutum. colore fulgidum. ualitudine quoque
sanissimum salutare curauit. Cui episcopus ait.
Iam nunc in tota urbe pro diuino habetis.
quia de hiis quos morituros prenunciasti. so-
lus unus remansit. At ille. utinam et ille
quem uiuere putas defunctus esset. sic ipse qui
hunc sepe predictus est exiliret. Cumque episcopus
de eo tota curiositate inquireret. et mo-
nachus dicere palpitaret. tandem ubi die
sexto se moriturum cognouit. expallu-
it atque contremuit. et sublatisque uiribus con-
tra monachum frenduit. quem redire uo-
lentem retinuit. in interiora cubiculi pe-
netrauit preuagus. paulatim sibi facies do-
lore persensit. Deinde tacto sibi pulsu mox
signa febris cognouit. monacho credidit.
domum suam disposuit. ad monasterium
cui preerat eidem infulis redimitus.
quibus a patriarchio reuersus fuerat uenit.
Secunda feria cunctis tam subitam conuer-
sionem mirantibus. monachicum habitum
suscepit. Et paulatim ingrauescente mo-
lestia. sexte ferie sub diluculo dormiuit.
ac denuo suscitatus. apparuisse sibi sanctum an-
dream apostolum. seque circa horam terciam
uocandum esse. sed quia preceptum prohibuit.
ut quia sue mortis expectacione suspen-
si monachi sancti fabiani munia solito ce-
lebrare non poterant. mox corpus suum
sepulture traderent. Acceptis a se cere-
is ac timiamatibus ad peragenda sollempnia
festinaret. Hora itaque tercia episcopus letus
defungitur. ut in ipsa uultus eius leticia.
conuersio ipsius deo fuisset placabilis. cunc-
tis uidentibus monstraretur. [lxxviii]
Eodem tempore germanus eiusdem mo-
nachi. mentis insaniam passus est. ita ut
humana consorcia fugiens. multo tempore
preuagus per criptas solitarias. et cenosa mo-
numenta discurreret. Cuius insanie frater
cottidie nimium sanctum gregorium profusis
lacrimis precabatur. ut sibi fratrem sospitem
reddere dignaretur. Itaque cum nocte quadam
per huiusmodi fletus gesteret. beatus gregorius
apparuit ei dicens. Uidens lacrimas
tuas. suscepi oracionem tuam. ecce germa-
num tuum tibi hodie saluum reducam. et
hoc tibi signum. quia statim ut dies illuxe-
rit. iussu pontificis presbiter qui hic inclu-
sus est extrahetur. Que ille surgens ma-
tutinali tempore fratribus indicauit.
Forte nunc idem presbiter capanus de loco